



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

De affectibus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

affectibus ; dubia verò & difficultates , quæ circa ea , quæ diximus jam , moveri possent, deinceps resolvemus.

## CAPUT IX.

*De Affectibus.*

**S**uperius diximus , omnem orationis fructum consistere in affectibus , illosque esse scopum, ad quem nostra omnis contendere debet meditatio. Parum enim nobis serviet, si de Deo ac rebus spiritualibus multas habeamus insignes cognitiones & conceptus, neque tamen cor nostrum illorum amore sit inflammatum. Et sicut parum proficeret pauperi, si ingentem aliquam videret thesaurum, neque tamen possideret : aut famelico si videret mensam opiparis instructam ferculis, neque tamen inde comederet, ita profectò parum tibi conferret emolumentum, quod oculis tui intellectus videres spirituales veritates, nisi etiam inde gustum aliquem interiorum persentisceres, & affectu ac desiderio quodam ardenti ad illas contenderes. Verùm tamen is, qui thesaurum corporeum desiderat, non propterea illum statim possidet : affectus attamen ac desiderium rerum spiritualium adeo illas nobis appropriat, ut ex illis fructum omnem desideratum percipiamus. Nihilominus invenire est quædam ingenia curiosa, quæ nunquam finem suis imponunt meditationibus, & nullum aut certè valdè exiguum tempus permittunt voluntati, ut suos illa eliciat affectus, ac propterea hujusmodi

modi homines ab oratione discedunt ita frigidum & aridi, atque ad illam sunt ingressi, quia illorum meditationes, quas convenientius quis appellaverit speculationes, lumina sunt sine calore, & omnes illorum considerationes similes sunt soli hyberno, qui illuminat, nec tamen calefacit; ex quo etiam fit, quod terra cordis eorum nullum producat fructum bonum, atque ex omnibus exercitiis illis spiritualibus, quæ faciunt, nihil reportent aliud, quam curiositatem, superbiam ac vanitatem.

Non est nobis inquirendum, inquit Gerson, in quo consistat virtus præcisè ut sciamus, verùm ut amemus illam & in praxin redigamus, atque ita re ipsa virtuosi evadamus. Considerare debemus, ut cognoscamus, at verò cognoscere non debemus, nisi ut amemus, ad exemplum Regii Vatis, qui de seipso ait: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.*

Quamprimum igitur adverterint Fratres nostri, voluntatem suam incipere inflammari, sive per interiorem Dei attactum absque eo quod multum adhuc sint in consideratione progressi, sive beneficio considerationum, quas ei exhibuerit intellectus, cessabunt à discursu, ut illi tempus concedant sanctos affectus, quos conceperit, producendi. Cujus rei ut certam eis methodum præscribamus, dicemus primo:

*Quid sit affectus, & quomodo ille in cordibus nostris enascatur.*

**A**ffectus, de quo hic loquimur, est certa quaedam commotio cordis, sive sanctus

F qui-

*Non est  
nimium  
tribuendū  
intellectus.*

*Pf 38. v.  
4.*

*Inveni,  
quem dilig-  
git anima  
mea, tenui  
eum, nec  
dimittam.  
Cant. 3.  
v. 4.*